

VIII

Surgunt zelotypi nodoso a fuste mariti
Conjugis in nitido nigrantia tubera tergo.
Bella haec, in regnis domibusque, Harpocratis vnus
Cavisset digitus, si sit reparabile numen.

Sed Vobisne, VIRI, quorum iam tempora laurus
Ambit, feruenti merces quaesita labore,
Vobis, quos ipsi nos iussimus edere verbis
Doctrinae gazas, commendo Silentia? Vobis,
Quos auditorum dignos discedere scamnis
Censuit vno animo clarissimus Ordo virorum?
Nolo Vosmet opes doctrinae condere, numos
Gryphius vt condit; nam nulla scientia sciri
Digna est, si nulli profit. Prodesse docendo
Vos volo, Vos moneo; sed et est sapientia quaedam
Cognita non multis, sub pectore posse tenere
Quae melius reliquis tu noueris omnibus: illam
Commendo Vobis, commendo silentia, quando
Stultus declamat, loquitur vel amicus in aurem.

